

Vc  
5102





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-94946-p0002-2

DFG

A. 4,5.

Vc  
5102

AD  
SERENISSIMUM ELECTORATUS  
SAXONICI HÆREDEM,

# JOHANNEM GEOR. GIUM TERTIUM,

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ MONTI-  
UMQVE DUCEM,  
&c. &c. &c.

PRINCIPEM JUVENTUTIS,  
DE INITO CONFECTOQUE  
FELICITER DANICO ITINERE,  
ET  
PACTIS EX VOTO REGIIS  
SPONSALIBUS,

CHRISTIANI AUGUSTI L.B. à FRISEN,

ACADEMIÆ IN PRÆSENTI  
RECTORIS

GRATULATORIA,

IN TEMPO ARCIS

EX MEMORIA HABITA


WITTENBERGÆ,

MENSE NOVEMBRI

A. d. I. c. LXIII.



Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typograph.





CHRISTIANI AUGUSTI L. B.  
à FRISEN  
GRATULATORIA  
<sup>AD</sup>  
SERENISSIMUM PRINCIPEM,  
JOHANNEM GEORGIUM III.  
ELECTORATU SAXONICI HÆREDEM.

**S**i quantum materiæ sedat in præsen-  
ti ad manum, tanta gaudii impo-  
tentissimi, qvo hōc eodem articulō  
obruimur, significatio esset, credo, non ca-  
thedram illam tantūm, tot maximarum con-  
gratulationum arbitram ac testem, non so-  
lūm templum hoc augustissimum, lætisistis,  
ut est, vocum & nervorum & tibiarum perso-  
naturum cantibus: sed ipsa etiam pone con-  
stituta æra illa, ipsa è marmore ad lævam & ad  
dextram sublimata divinorum Ducum, Sa-  
xonum tuorum, simulacra, PRINCEPS SERE-  
NISSIME, processura depilis suis, & velut ani-  
mata ac spirantia, eadem istâ, qvâ procum-  
bunt venerabunda cataphractâ, acclama-  
tura felicitati hujus diei fuisse. Nam sive  
longinqua ac periculosa etiam itineris, ex  
qvo redux ades feliciter cum excellentissimâ  
MATRE, sive decisi confectiq; ex sententiâ  
negotii magnitudinem, seu deniq; affinem

A

tan-

tantarum rerum MAXIMUM AC POTENTISSIMUM OCTOVIRUM PATREM intuear, tanta ex omni parte se prodit æqvè lœtandi ac dicendi copia, ut qvò me primùm vertam in istâ inexplicabili mole, aut qvid ex alio deinceps ingrediar, nesciam planè. Solent in illustre dædaleorum artificiorum delati horreum, id dare operam primò, ut vel minima etiam, qvantum fieri potest, accuratisimè contemplantur; mox obstupefacti admirandorum operum multitudine ac pretio, consilere penitus, & dum in altero defixos habent oculos pariter & mentes, alterius amittere interim memoriam. Ego verò, qvi communi & meo & universæ Academiæ illius devotissimi cultûs plenæ, ore ac voce venio gratulatum augusto tibi PRINCIPI, ut abripiar vi atq; numero dicendorum, & multò plurima prætervehi tacitâ veneratione habeam necesse; ne conticescam tamen totus, & excludar religione officii, qvô in præsenti publicô defungor, pro viribus elaborabo. Qvanquam sic, ut omnem orationem meam ad tuam, DOMINE, moderationem submittam, non minus consideraturus, qvid ferre aures tuæ possint, qvàm qvid virtutibus

-1153

A

bus debeat. Neq; enim vel hic, vel alibi  
unquam gratiam immensam tuam, qvæ ad  
audiendum placidè Te impulit, sum expun-  
cturus.

Qvæ verò terrarum esse mœstitudo so-  
let, cùm Sol oceano mersus subduxit jubar,  
offusis, qvaqvà abest, densissimis tenebris:  
eandem in his regionibus & provinciis, ac in  
universum qvàm latè Saxones Myliq; co-  
lunt, sub tuum, SERENISSIME PRINCEPS, disces-  
sum deprehendi: dum absente tecum au-  
gustissimâ Matre torperent cuncta, ac tan-  
tùm non conficerentur squalore. Ea ni-  
mirum optimorum Principum est conditio,  
ut abeentes longius, non secus ac amissos  
qverantur subditi, reficiendi non antè, qvàm  
fortunatos salvosq; conspicentur reversos.  
Habetis causam, PRINCIPUM MAXIMI, PRIN-  
CIPUM INDULGENTISSIMI, qvamobrem gesti-  
entes nos in reditu vestro, ac tripudiantes  
tantoperè, & diffluentes penitus lætitias o-  
mnibus contuemini; & si fas est fateri, necâ  
lacrimis amplius temperantes. Nam & his  
est datus inter læta locus, cùm vehementius  
illa incumbunt, & ita efferunt animum, ut  
in oculorum veluti imbres totus liqvescat.

Ac

Ac sunt hæc quidem nostræ in vos pietatis  
pignora, OPTIMI PRINCIPES. At quantum  
crediderimus gaudium, qvod Patri patriæ  
potentissimo venit, dum sospitem incom-  
parabilem Conjugem, sospitem amantissi-  
mum Gnatum, alterum seipsum, amplecti  
denuò, ex itinerum infinitis discriminibus  
Dei omnipotentis munere datur? Qvo ve-  
rò reponemus loco, qvòd perfecto sacrosan-  
cto negotio habet pius Genitor, de qvo in-  
pio Filio unicè ac insatiabiliter posthac læte-  
tur? Magnum est, PRINCEPS ELECTOR AU-  
GUSTE, magnum est, in eo collocatum te sta-  
re majestatis apice, qvi ultra septem haud ex-  
periatur suæ altitudinis socios: majus tamen,  
hæredem, paternarum virtutum imagi-  
nem exactissimam, habere. Illud fortunæ  
ex parte, hoc totum Dei optimi maximi est  
opus. Et verò, accuratâ qvâdam Numinis  
providentiâ videtur factum, ut qvi Regis  
in Romano Imperio fungeris vicem, augu-  
stissimo Danorum Regi affinitate jungere-  
ris, atq; in necessitudinis venires jura. Enim-  
verò, nihil consummatisimæ felicitati tuæ  
decerat amplius, DOMINE, qvâm ut ultra  
Cimbricam etiam acillam gelua strictissimo  
rigi-

rigidam borealem orbis terrae partem no-  
minis tui extenderetur opinio ac fama.  
Dudum te temperatae tuae Zonae non ca-  
piunt; dudum te exteri populi adorant ac  
venerantur. Et nunc inter ipsos septen-  
triones istos remotissimos te emicare longe  
fulgentissimum sidus, quid magnoperè mi-  
rum? Hæc pietatis tuæ propria laus est,  
**D**OMINE; hoc justitiae meruisti præmium,  
ut quod olim fieri posse dubitasent Germani  
tui, nunc plenâ veneratione cognoscant  
factum. Nam Frothones priscos, & Go-  
tricos ac Canutos, denique ultimos Dano-  
rum Danes cum recogito, quid non ful-  
minum cogito in Saxones nostros ac flam-  
marum? quid non nigerrimi fellis? Ac  
cum ipsis capitalibus odiis dissiderent invi-  
cem illæ fortissimæ gentes, bellis perpetuis  
fataliter ac implacabiliter etiam damnatae,  
ecquis tam bardus ac hebes omnium ex-  
titerit mortalium, qui crederet, coituras  
olim in foedera, & posito tantarum irarum  
æstu jucturas unquam dextras fuisse? Et  
quæ animorum tamen coaluerit inter illas  
pulcherrima concordia, non superiorum  
tantum temporum loqvuntur memoriæ,

B

sed

sed præsentium qvoq; confirmat fides.  
Nec posunt fortes ac magnanimi esse, nisi  
fortibus ac magnanimis oppositi. Ac  
qvam generosissimis eqvorum cernimus  
esse invidiam, dum neuter sibi præripi pal-  
mam, neuter cedere destinat campo : can-  
dem & populorum præstantissimorum  
videmus. Usq; adeò constitutum ac præ-  
scriptum à naturâ est, in qvô virtus exer-  
ceatur ac enitescat. Neqve enim justissi-  
mam semper bellorum extitisse causam  
his populis dixerim, nisi ne temere hebe-  
scerent animis, nimioq; otio contrahe-  
rent inuicem. Habent tamen & odia  
mortaliū suas periodos ac lapsus. Non  
longum h̄ic faciam, aut in remota ac ob-  
soleta me abdam annalium. Divi illud  
AUGUSTI SAXONIS & ANNÆ DANICÆ; Divi  
item CHRISTIANI II. & HEDVIGIS DA-  
NICÆ; imò & CHRISTINÆ SAXONICÆ Divo  
JOHANNI Daniæ Regi nuptæ; nec non  
MAGDALENÆ SIBYLLÆ SAXONICÆ & CHRI-  
STIANI V. Daniarum Norvagiuarumq; ve-  
hæreditarii Principis, memorabilia ad o-  
mne ævum conjugia voco in partes. Ve-  
rū minora hæc videbantur, n̄ tuum qvo-  
q; ve

Qve accessisset, SERENISSIME PRINCIPATÙS ELE-  
CTORATUSQVE SAXONICI HÆRES, qvod vel  
solum immane quantum spei perennaturæ  
in novissima secula amicitiæ inter Saxones  
Danosqvé præbere potest. Meritò igitur  
prostrati in genua ac cernui gratias devotas  
agimus Deo; meritò preces innumeras pro  
salute tuâ, PRINCEPS PISSIME, nuncupamus.  
Scio, verecundari modestiam tuam, cùm  
qvaqvaversum subditam tibi gentem in ad-  
mirationem tantæ felicitatis effusam, sumi-  
mum Numen supplici voce venerari cer-  
nis. Qvod qvidem tunc, cùm sponsa regia  
addiceretur tibi regum & ipsi deducto de  
altissimo sangvine, in Te expetiisfè, rectissi-  
mè crediderim. Sæpiùs mecum agitavi,  
DOMINE, cùm nulla inter mortales ineantur  
matrimonia, qvæ non ab æterno rerum  
conditore provisa diufuerint atq; disposita,  
ecqvod absolutissimum illorum numeris  
suis omnibus cogitare liceat? Ac singenti  
interim formantiq; mihi tale aliquod, vix  
voto unqvam concipiendum succurrit si-  
mile huic tuo. Hic opulentiam suspiciens  
alterius, conjunctionem ambit: iste expa-  
vescens potentiam, tutiorem se ex consan-  
gvini-

gvinitate sperat.: sunt, qvi sanctissimo nuptiarum fœdere ludentes, sub specioso cognationis prætextu, machinationibus suis colores & securitatem qværunt. Te, domine, qvod prædicatione æternâ dignum, solus amor religionis, solus divini nominis cultus impulit. Qvare spem foveamus certam licet, hoc tuum inclytum conjugium, non imperium firmaturum magis, qvā in religionis futurum asylum. Religionis, inquam, cuius propugnatores constansimi post hominum memoriam nulli æqvè ac Dani Saxonesq; tui extiterunt. Seculum jam decimum, & qvod exurrit, vertitur, cùm utraq; gens christianâ fide primūm cognoscitur imbuta. Et illa quidem Haraldo Regi, Ansgarioq; monacho, ejus rei debet originem; huic verò invictissimus ille Carolus, cui tot fortia & humandum modum longè supergressa facta Magni pepererunt nomen, ad suscipiendum Christi Servatoris optimi sacramentum, auctor fuit. Nec amplius quatuor & triginta intercessere anni illâ tempestate, qvòd sacris christianis uterq; populus iniciatus. Inde ergo ducendæ ante omnia caus-

causæ sunt, qvòd tantis voluntatibus, tantâ conjunctione spirituum ac animorum pro religione pugnarunt semper, nec vinci se altero alter constantiâ unqvam est passus. Itaq;, ut cum cæteris qvidem regum principumq; stirpibus perpetuam necessitatem colit Saxonum tuorum illustrissima Domus, DOMINE, qvam inde usq; à Divo HENRICO PRIMO per ipsos trecentos & qvinqvaginta totos annos dedisse Imperatores Cæsares Augustos, memoriarum veterum libri docent: sic religio præcipue in istâ Saxonum ac Danorum gente æternùm videtur conjurasse. Sed aliò me vocat hujus matrimonii gloria, totumq; in serenissimæ sponsæ virginis obtutu detinet defixum. Quid hic primùm mirer, qvidvè postremùm? Usq; adeò natura in formandâ principe regiâ, quantum posset, videtur voluisse experiri. Quid formâ illius fangi augustius queat? quid ore pulcherrimo absolutius? quid venustius genarum purpurâ? quid specie omni regali dignius? Nec minor animi in virtutes omnes apparatus. Sanè quemadmodum in politis fabreq; factis scriniis pretiosiora asservari plerumq; solent,

C

lent,

lent: sic prudentia, & qvicqvid perfici-  
endæ menti nostræ inservit, formosissimum  
sibi domicilium, sedemq; haud vulgarem  
qværit. Nec futiliter sapientium opi-  
nione rara & elegans qvæq; species pluri-  
mum creditur è cœlo trahere. Paria igi-  
tur in regiâ sponsâ, DOMINE, corporis ani-  
miq; faciunt dotes. Est hæc Principum  
præ cæteris prærogativa, ut qvantò excelsi-  
ore positi loco sunt, tanto æqvabiliore utan-  
tur fortunâ, utriusq; bonis ante alios insi-  
gniti. Quid ergo? qvid ad exquisitissi-  
mam purissimamq; lætitiam Sponso desit  
Principi nostro? Audacior pro officio,  
dum ista dico, tibi videri poteram, INDUL-  
GENTISSIME DOMINE, sed dabis veniam de-  
votioni meæ, qvæ veritatis custos pro me  
loqvetur causam aliquando, dum appa-  
rebit, paucissima de Te, & Sponsâ principe  
mihi in præsens memorata esse. Ac dum  
jacta semel hæc alea est, non possum, qvæ  
penes me ingentis gaudii vis, silentio præ-  
terire, qvantum jucunditatis ac dulcedinis  
ex isthôc foedere ad te non minus, PRINCEPS  
EXCELLENTISSIME, qvàm ad SERENISSIMAM  
SPONSAM tuam, sit redundaturum. Id agis  
ætatis,

ætatis, DOMINE, cùm annis fortis & integer  
indeflexâ gaudes maturitate, Sponsam pa-  
ri juventâ indeptus; qvæ, tantum abest, ut  
coacta in manum tuam convenerit, ut po-  
tiùs ex antiquissimâ Frothonis Danici le-  
ge, suâ sponte. Ac virginem qvidem du-  
xisse virginem ipsum Principem, qvantum  
gratiæ, qvantum mellis habet? Hanc ve-  
risimam nubendi rationem vetustissimi sa-  
pientum crediderunt; ipsi iidem, qvi pa-  
res jungere præcipiunt. Non temerè  
Pittacus deliberanti amico divitem, sed in-  
æqvalem, an pauperem, sed parem sibi de-  
posceret, respondisse fertur: pueros id  
consulendos, qvi actis in gyrum trochis  
acclamare invicem soliti: TU TIBI SUME PA-  
REM. Ac si patitur æqvitas tua, DOMINE,  
ut ad Poetas etiam, vitæ primos ac præstan-  
tissimos magistros, descendam, qvid de  
Merope dicam, septimâ Plejadum, incon-  
spectâ æternis tenebris, non aliâ ratione,  
qvâm qvòd inepto mortaliq; Sisypho nu-  
pta. Hoc enim incogitantiæ suæ tulisse  
supplicium, genus illud solers hominum,  
Poetas dico, more suô finxit, qvô instillare  
saluberrimas doctrinas consuevit. Jam  
qvid

qvid de ipsis Holsatis Danisq; antiquissi-  
mis attinet referre, qvibus capite etiam  
plectebantur, qui inæqvales conditiones  
qvæsivisent. Qvòd si ætatis & morum  
ac fortunarum paritas consummatum facit  
conjugium; qvid non felicis ac auspicati  
de Tuis, PRINCEPS CLEMENTISSIME, sponsali-  
bus nobis in præsenti habemus polliceri?  
Qvin ego, si fas piumq; mortalibus, scruta-  
ri coelestia ac impervia, nunquam impen-  
fiùs se nobis indulsisse fortunam dixerim,  
qvàm cùm illam tibi, DOMINE, emendatis-  
fimi exempli Sponsam decrevit. O bea-  
tos nos, atq; non nunc demùm felices?  
Neq; enim nunc dixerim, qui fuimus tales,  
etiam priùs, qvàm se explicaret ac osten-  
deret hoc saluberrimum fatum. Ac qvid  
Genitori optimo non debemus? qvid non  
sagacissimæ pientissimæq; Matri, qvorum  
curâ ac provisionibus prudentissimis hæc  
Tibi, DOMINE, hæc nobis tanta felicitas ste-  
tit? Sed tu magni Patris magne Nata, in-  
ejus qvotidiè vultus ac præclara facta intu-  
ens, non nisi bonus fieri potes. Qvanquam  
jam bonus es, & ostendis, qvalis postmo-  
dum etiam sis futurus. Qvàm vellem li-  
ceret

Ceret in latisimos virtutum tuarum cam-  
pos hic exspatiari, nec, qvod subinde vere-  
or, aut morari injustius tempora tua, aut  
detrahere dicendis per opportunam brevi-  
tatem. Pietatem initio praedicarem tuam,  
DOMINE; adjicerem magnitudinem atque  
clementiam; bonitatem quoq; extollerem  
modestiamq; tuam; & qvicq; decet prin-  
cipem, in Te uno reperiri, facile probarem.  
Macte PRINCEPS PISSIME, hâc gloriâ, hâc in-  
dole! Semper ita facias, semper Tibi instes,  
nec unquam aut animus tuus, aut fortuna  
lassetur! Promove felicitatem subditorum  
tuorum, ut cœpisti. Unum enim hactenus  
universorum desiderium, unum omnia  
complexum fuit votum, ut, qvemadmo-  
dum in Te Patrem veneramur cuncti, ita &  
Matri similem Conjugem tuis adducas ter-  
ris. Non destituisti hactenus spem popu-  
lorum tuorum, & satis luculenter docuisti,  
qvam vel in ipsâ hâc ætate patriæ te exhi-  
bere Patrem studeas. Nimirum surgunt in  
ortus suos generosa semina, & ibi desinunt,  
unde exordia duxerunt. Sic DIVUM JOHAN-  
NEM GEORGIUM PRIMUM, Avum tuum, Pa-  
rens serenissimus nobis retulit. Sic TU JOHAN-

D

NEM

NEM GEORGIUM SECUNDUM exprimis: sic Te  
olim tui reddent, DOMINE, fietq; ut in nepo-  
tibus JOHANNES GEORGIUS TERTIUS agnosca-  
tur. Hoc pretium conjugii tui, hanc usu-  
ram certissimam ac fructum habebis. Fa-  
ces sat deinceps Thales aliquis, qui sollicitanti  
de matrimonio matri, instanti q; indies, non-  
dum esse tempus; post major natu, urgen-  
ti eidem, jam non amplius esse tempus, aje-  
bat. Ignoscat mihi tua, DOMINE, pietas, si bo-  
vis hanc vocem, non sapientis. Græci dixe-  
rim. Tùm verò dispereat ipse pessimè, qui  
vecors & brutus totus cecinit:

*Pereat male, qui uxorem ducere*

*Instituit primus, tum secundus qui fuit,*

*Tum tertius, tum quartus, tum qui postumus.*

Qvantò verò sapientius philosophabatur  
divinus Plato, si nullam aliam, isthanc tamen  
è nuptiis venire consolationem arbitratus,  
qvòd filios filiorum semper administratos  
Dei pro nobis relinquam, vitam, tan-  
quam lampada, aliis post alios tradituros.  
Dixit ille quidem benè, sed ita dixit tamen,  
ut humilium ac privatorum hominum fal-  
tem intellexisse videatur connubia. Prin-  
cipum enim præter utile illud ac pius, ne-  
cessi-

cesitatem etiam habent. Amplius pro-  
inde omen tuis hærebit votis, EXCELLEN-  
TISSIME PRINCIPUM, amplior fortuna, & con-  
summatisima ad summam: qui pruden-  
tissimo saluberrimoq; consilio has de ma-  
trimonio cepisti cogitationes, ut & generi  
inlyto, & terris populisq; tuis providus  
dominus prospiceres. Optimi hoc prin-  
cipis, illud probi patris est familiâs. U-  
trumq; munus exeqvendum tibi sumpsisti,  
DOMINE, ne qvâ ex parte defuisse nobis,  
vel Tibi potius, in qvô nos omnes com-  
prehendimur, dicereris: asfveturus insimul  
augustissimis illis, qvas Parenti serenissimo  
incumbere vides, curis. Cujus dum ades  
actibus, dum legis vestigia, dum ipse de-  
scribis ac designas, qvæ velitis gesta, qvan-  
tum momentum ad felicitatem omnem  
imperii habet? Neq; enim malè impera-  
bit, qui paruit bene: nec reget malè, qui  
educatus optimè fuit. Benignissimè con-  
sulet civibus, qui gubernare bene didicit.  
Facis verò istud omni tempore, & nunc  
præcipue, qvando salutem omnium istis  
tuis clarissimis sponsalibus auges promo-

ves.

vesq; in majus. Qvæ enim salus potior,  
qvam in liberis principum? Non legio-  
nes, non opes æqvè verendos suspicien-  
dosq; faciunt, ac numerus liberorum; tu-  
tissimaq; est majestas imperantis, hærede  
suo innixi. Cujus tenendæ rei ferè eneca-  
mur desiderio. Nam & gaudii major  
consuevit esse expectatio, qvod futurum  
certò novimus. Dabitis orbi Augustos,  
SPONSI AUGUSTISSIMI, dabitis nobis liberos,  
qvi ore atq; indole vos referent, vos pa-  
rentes loquentur. Et illa demùm, Do-  
MINE, erit verè beata posteritas, cùm libe-  
ros tuos grandiores natu grandævus ipse,  
sed fortis hilarisq; ac integer viribus o-  
mnibus, rerum gubernaculis levando o-  
neri tuo, admovebis, ipse omnium maxi-  
mus parens, princeps summus. Annuat  
votis nostris Deus, & reddat compotes, ut  
cùm consecuti fuerimus, tām sempiternā  
tua sit soboles, qvam immortale imperium.  
Non consueverunt magnanimæ aquilæ  
imbellem edere columbam; aut genero-  
sæ tigres timidam procreare damam: sed  
creantur fortibus fortes. Et nos verò, an-

Patre

237

Patre tanto, tantâq; Matre ferendos, alios,  
qvâm fortes, qvâm generosos futuros di-  
cemus? Fuisse Germanorum veterum  
mulieres inter cæteras virtutes bellicâ etiam  
respectatisimæ, nec coeli tantum doctas  
ferre injuriam, sed & aggredi hostem, & in-  
vadentem sustinere ac propulsare, memo-  
riæ priscorum temporum produnt. Qvin  
belli pacisq; comites indivulsas, maximus  
scriptor Tacitus testatur. Idem, qvi san-  
ctum aliqvid & providum illis inesse, asse-  
verat. Solæ profecto hæ fortitudinis si-  
bi vendicarant laudem, si per Danicas ste-  
tisset. Qvicqvid disputatione de Amazoni-  
bus gravissimi auctores, in his repræsenta-  
tum verius juraverim. Etenim, ut præ-  
ter Germanicas ferre non poterant pares:  
sic superiores habuisse unquam, persuade-  
ri mihi haud patiar plane. Eat sui osten-  
tatrix vetustas, totq; maximarum fæmina-  
rum vulgata monumentis prædicet exem-  
pla: jaetet se Camillâ suâ Italorum natio:  
habeant Semiramidem Ægyptii: fuerit  
bellis clara Orithya, & furentem viderit  
Penthesileam Troja: haud minor profe-

Etò gloria Sticlam atq; Ruslam virgines  
manebit Danicas, qvæ innutritæ bellis, ar-  
misq; rigidæ, Trundonem fratrem tan-  
tum non assiduis præliis debellarunt, do-  
nec ab Haraldo viæ postremùm navalí  
pugnâ portibus dederunt nomen, qvibus  
postea hæsit. Nec Wisnam adhuc  
dixi atq; Hetham, qvarum illa monstrofæ  
fortitudinis virago, cùm aquilifera signum  
tueretur strenuè, à Starcutero petita ferro,  
brachium amputari sibi prius passa est,  
qvàm signum manu mitteret: hæc verò,  
cùm cornu in acie tuendum suscepisset,  
tām fortiter restitit, ut terrori pariter &  
admirationi hostibus esset, Danico regno  
ex eâ re paulò post præfecta. Wethbi-  
orgam autem quid memorem, cum plu-  
rimis aliis, qvarum singula si quis comple-  
eti præclarè velit gesta, secula sibi optet  
necessè est, non clepsydras. Ipse vides,  
DOMINE, qvalis Tibi Sponsa, qvalis Domina  
nobis contigerit. Intelligamus igitur  
bona nostra, dignosq; nos illorum probe-  
mus usu. Qvà ratione autem id fieri com-  
modius poterit, qvàm si Te sanctè ac decen-

ter.

ter colamus: illam admiremur maxime,  
& ex longinquo licet, adoremus: gaudi-  
um adeo nostrum faustis omnibus ac vo-  
tis explicaturi. Salve igitur JOHANNES GE-  
ORGI TERTIE! Salve PRINCEPS JUVENTUTIS!  
Salve virtutis æternum exemplum! Salve,  
inqvam, ac longum supera fospes! Note-  
tur omnium animis ac mentibus dies ille,  
qui Te Sponsum fecit. Qvicqvid felices  
reddere nos potest, tecum est. Liceat re-  
ligioso osculo sanctissimam dextram tuam  
venerari: in Te enim salus, in Te spes, in Te  
vita nostra, ut vivere delectet! Impunè  
mihi sit, DOMINE, veterum Romanorum  
prodere religiones, earundemq; reduxis-  
se coram Te memoriam. Mos erat Præ-  
tori Idibus Septembribus, hoc est, ipso il-  
lō faustissimō anni tempore, quod tua hæc  
perfecit vota, SERENISSIME PRINCEPS, in Jo-  
vis Capitolini templo figere clavum, no-  
tam signumq; annorum. Figatur me-  
moria tuorum sponsaliorum in universo  
terrarum orbe: nec antiquos solūm Da-  
nos juvet scripsisse rerum suarum magni-  
ficam in saxis ac rupibus famam: sed du-

pead

cant

ca<sup>n</sup>t tua fœdera solertes manus; his tem-  
pla ac for<sup>a</sup> niteant; hæc ebore, hæc  
marmore reddantur; hæc in coloribus  
vivant; hæc æra impleant; hæc coru-  
scen<sup>t</sup> gemmis. Non potuit solerter  
magis agere fatum, qvā si Danis Saxo-  
nes arctius connecteret, prout fecit. Satis-  
factum abundē, qvā Saxonum, qvā Dano-  
rum votis & utilitatibus est. Voluisti, qvan-  
tum in te fuit, nos beare, & beasti profectō.  
Sis porrō, ut coepisti, DOMINE, felix tuis,  
felix nobis ac bonus; pius sis, sis facilis, &  
præcipue bonus, pius, facilis in bonarum  
piarumq; omnium artium, ipsiusq; æternæ  
veritatis illam fidelissimam magistram Aca-  
demiam tuam; sis bonus, pius, facilis cun-  
ctis bonis piiq; literis, qvæ unæ donare  
Te verâ immortalitate possunt. Nam cæ-  
tera qvidem admiranda terrarum vel perdit  
vetustas, vel tollit scelus. At verò, qvæ à literis  
venit gloria, nullis unquam casibus, nullis an-  
norum decursibus deletur.. Ac qvod ad-  
venturum aliquando credideris tempus,  
DOMINE, quo Divi Avi, maximiq; Patris  
tui intercidet memoria, qvam illustrissimis

bene-

Benefactis suis in hanc augustissimam Mu-  
sarum sedem, ACADEMIAM WITTENBERGEN-  
SEM, pepererunt?

Sed nunc summe, optime, immortalis  
Deus, præses custosq; principatus hujus, cu-  
jus nutu cuncta gubernantur ac vigent, Te  
qvæsumus & oramus supplices, volens pro-  
pitiusq; in sera secula Principem hunc no-  
strum serves. Tuum enim munus est,  
addere tantis virtutibus, tantæq; pietati æ-  
ternitatem. Qvam ut sibi ipsi circun-  
dant principes, bonitate ac clementiâ usi;  
sine Te tamen nec circundant unquam,  
& multò minus tuentur. Coalescant Da-  
nica Saxonumq; potentissimæ domus ir-  
ruptis foederibus, qvæ nulla temporum  
solvat diritas, nullus turbo frangat. Lon-  
gævus & incolmis duret augustissimus  
Principum, JOHANNES GEORGIUS SECUNDUS,  
fortunamq; semper suam, id est, ad votum  
& sententiam experiatur.. Floreat perpe-  
tuò MAGDALENA SIBYLLA, tua, DOMINE,  
Mater sine exemplo maxima, cuius vigi-  
lantissimæ providentiaæ hodierni diei gau-  
dia præcipue tecum ferimus accepta.

F

Sic

Sic ipse floreas, DOMINE, sic vigeas, SPONSE  
SERENISSIME, sic avitam & paternam glori-  
am, si non superes, exæqves tamen! Sic  
floreat regni Danici decus, SPONSA tua,  
deliciae tuæ, deliciae populorum tuorum!  
Sic nos TE pium, TE justum, TE bonum  
semper veneremur, semper  
experiamur!

D I X I



**N**un die übermächtē freude/ so uns vorist gleich als überfällt/  
so leicht zu erweisen stunde/ als viel desjent-  
gen sich an die hand giebet/ worvon man  
billich zu reden hätte/ wolt ich ungezweifelt  
dafür halten/ es würde nicht allein diese Ca-  
theder/ auf welcher so unzählbare grosse glückwünscche abgeleget  
worden/ oder nur dieser heilige Tempel allein/ mit frölichem sei-  
tenlang und vollen lieblichen stimmen/ wie er anigo ist/ erklin-  
gen/ und sich hören lassen/ sondern zusörderst auch würden diese  
hiernechst zur linken und zur rechten stehende/ und beydes in Aerk  
als Marmor abgebildete Gestalten der Grobmüthigen Herzoge  
zu Sachsen/ E. Durchl. Vorfahren/ DURCHLAUCHTESTER  
SÄTER CHURPRINZ/ GNAEDIGSTER HERR/  
von ihren Pfeilern sich erheben/ und gleichsam beseelet und erwar-  
met/ in eben denen Rüstungen/ wie Sie hier auff den knien liegend  
mit gefalteten händen anzuschauen/ der glückseligkeit dieses ta-  
ges höchsterfreuet zurüffen. Dann sehe ich gleich die langwierige  
und gefährliche Reise an/ von welcher E. Durchl. nebenst dero  
Durchlauchtigsten Frau Mutter glücklich wiederumb zurück  
gelanget/ oder erwege ich bey mir die große des nach wunsch und  
allem vergnügen vollstreckten hohen werkes/ oder betrachte ich  
auch denjenigen/ welchen diese gewaltige Sache am meisten be-  
trifft/ den Durchlauchtigsten Churfürsten/ E. Chur-Princkl.  
Durchl. höchstgeehrten Herrn Vater/ unsern Gnädigsten Herrn/  
so findet sich auff allen Seiten eine so grosse menge dererjenigen  
dinge/ welche einen so wohl zur freude/ als zum reden anreizen  
mögen/ daß ich fast nicht weiß/ wohin ich mich in dieser überhäuf-  
fung zum ersten wenden/ oder was ich hernach sagen solle. Es  
pflegen die/ so in eine berühmte Kunstkammer geführet worden/  
anfangs den gebrauch zu haben/ daß sie auch die geringsten Sachen  
auff

auff das aller genaueste / als es immer möglich/ beschauen wollen:  
bald darauff aber / wann sie von der menge / und dem unschätz-  
aren werthe der so künstlichen stücke eingenommen seyn / erstarren  
und verstummen sie gänzlich / und in dem sie auff eins das gesicht  
rnd gedancken gerichtet/ vergessen sie unterdessen des andern. Ich  
aber / der ich so wohl für mich / als im nat men dieser ganzen E.  
Durchl. verpflichtesten und gehorsamsten Universität/ E. Durchl.  
unterthänigst glück zu wünschen auffgetreten bin / ob mich schon  
die grosse anzahl und höheit der sachen abschrecken möchte/ ich auch  
dahero sehr viel mit unterthänigstem stillschreien in geziemender  
reverenz werde übergehen müssen/ will doch / damit ich nicht etwas  
auch ganz erstummen / und die schuldige pflicht meines der zeit tra-  
genden Ampts abzulegen gänzlich verhindert werden möge/  
mich euerst bemühen / doch also/ daß ich meine rede nach E. Durchl.  
hohen bescheidenheit einrichte / und nicht minder unterthänigst  
wahrnehme / was E. Durchl. gnädigstes gehör vertragen könne /  
als was dero hochfürstliche Tugenden verdienen. Dann weder  
hier noch anderswo ich der unmäßlichen Gnade / welche E. Durchl.  
mir geduldige audienz zu geben veranlasset / in einig ungeziemend  
vergessen stellen werde.

Gleich wie aber / wann die Sonne sich igt in das Meer ge-  
taucht / und ihren hellen glanz unß entzogen hat / entgegen es allent-  
halben / wo sie nicht mehr anzutreffen / mit dicker finsternuß umbge-  
ben und bedecket ist / man alles hier auff erden still und traurig zu  
seyn verspüret: also habe eine gleichmäßige traurigkeit bey E. Durchl.  
abreise ich in allen dero Ländern und Provinzen vermercket / in dem  
bey dero selben und dero Durchlauchtigsten Frau M V T T E X ab-  
wesenheit alles ingesamt hinlässig und fast gar erstorben gewesen.  
Es pflegt dies frommen Fürsten zu begegnen / daß wenn Sie einen  
fernen weg reisen / Sie von ihren Unterthanen / gleich als ganz ver-  
loren / beklaget werden / die sich auch nicht ehe zu frieden geben  
können /

Können / sie haben dann dieselben glücklich und gesund wieder zu han-  
gegelanget gesehen. E. Durchl. ermessen hieraus gnädigst die ur-  
sach / weshwegen Sie uns alle bey dero widerkunfft so hoch erfreuet /  
frölockend und jauchzend / auch / do wir es unterthätigst bekennen  
dörffen / für freuden weinend antrifft. Dann sich in warheit auch  
thränen bey der freude finden / wann sie über groß / und das gemüthe  
dermassen entzündet / daß es gleichsam in einen quell zerrinnet und  
fleüst. Und dies / Gnädigster Herr / ist das pfand unsrer untertha-  
rigsten schuldigkeit gegen E. Durchl. Wie groß aber meinen wir /  
wird die freude unsers Gnädigsten Churfürsten und Landes Vaters  
iho seyn / in dem Er sein unvergleichliches Churfürstliches Gemahl /  
seinen herzgeliebtesten Herrn Sohn / und in demselben SIECH  
SELBST / frisch und bey allen hochfürstlichem wohlstande von  
der wohlabgelegten reise / ohne alle gefahr und anstoß / durch des  
Höchsten gute / frölich wieder zurück gelanget / umsfähret? Wo wol-  
len wir es hinrechnen / daß derselbe / nebst vollbringung des so hei-  
lichen und seeligen werks hinführō so viel und grosse ursach überkom-  
men / sich an seinem einigen Herrn Sohne unersatlich zuergezen? Es  
ist ein grosses / Durchlauchtigster Churfürst / Gnädigster Herr / ein  
grosses / sag ich / ist es / daß E. Durchl. in den Majestatischen  
stand gesetzt seyn / in welchem Sie nicht über sieben Andere ihres  
gleichen haben. Jedoch ist noch vielmehr und grösser zu achten / daß  
Sie einen Erben dero Hoheit / und vollkommenes ebenbild dero  
Väterlichen Tugenden haben. Dann jenes ist des Glückes zum  
theil / dieses aber ganz allein des grossen Gottes werck. Und zwar  
scheinet es aus besonderer Vorsehung Gottes herzurühren / daß E.  
Churf. Durchl. welche Königliche stelle in dem Röm. Reiche ver-  
tritt / mit dem Allerdurchlauchtigsten Könige in Dennemarck  
in so nahe verwandschaft gelanget / und blutfreundschaft mit dem-  
selben auffgerichtet hatt. Gewiß hat nichts mehr an E. Churf.  
Durchl. vollkommenster glückseligkeit ermangelt / als daß derosel-

G

ben

